Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

curia necatur. Unde quidam de hystoriarum compendio a nobis facta pulchre ac luculento
versu sui ordine L V C A N V S prosequitur. L I.

Exclamatio

Exclamare hic contra mutabilium rerum miserias cogimur. Ecce enim Romane rei publice
statum cui quanto non solum hostium sed et civium detrimento profecerit videmus. Alterna quippe
mutatione ad instar maris, quod nunc succiduis attollitur incrementis, nunc naturali dampno, nunc defectu subducitur, res publica Romanorum nunc gentes et regna bello
premendo, subiciendo ad celos attolli videbatur, nunc rursum ab exteris pressa, vel pestilentiis et morbis desolata ad abyssum usque mergi putabatur. Quid quod his maiores sepe
omnibus bene ordinatis et compositis, intestino ac civili malo in se ipsam ruens
miserabiliter exsecrabatur. Hec omnia mutantium rerum mala, ut ita dixerim, cottidiana mortalium mortes ad veram ac permanentem eternitatis vitam nos mittere debent.
Verum ut supra diximus, horum aliisque civitate dei attrita malis, qui post dense noctis
tenebras lucis vere ortus appropinquabat. Itaque decursis tam Persarum, Medorum, Grecorum ac Romanorum alternantium malorum casibus, quia iam adest ortus quo vere pacificorum
omnia que in celo et que in terris sunt pacificavit Christus Ihesus, appropinquans, huic secundo operi finem
demus, quatinus ad eam que sub Augusto ex nativitatis eius adventu toti mundo reddita
est pacem DICENDAM FESTINEMUS.

Incipit prologus libri tercii.

SPONSIONIS MEE NON IMMEMOR, DILECTE frater, de duabus civitatibus usque ad Octaviani Cesaris tempora qualicumque deductam hystoriam eloquio perserui? Cum ad Christiana
tempora iam venerimus, donante deo tanto liberius, quanto de civitate dei ob nascituram
fidem ubi dicere potero, complecti non dubitavi. Prioribus enim de civibus Christi pauca, multa vero de civibus mundi dicenda habui materiam, quia a primo homine ad
Christum totus pene orbis, excepto de Israelitico populo paucis, errore deceptus vanis supersticionibus deditus, demonum ludibriis captus, mundi illecebris irretitus,
sub principe mundi diabolo militasse invenitur. At ubi venit plenitudo temporis
misit deus filium suum, ut qui homines perversa ac devia more pecudum oberrantes
ad viam reduceret, viam se hominem assumendo prebuit, et ut a falsitatis errore
oberrantes et exorbitantes ad veritatis lumen revocaret, veritatem se ostendit, ut
vero deficientes reficeret, vitam se veram exhibuit. Ego sum, inquiens, via et veritas et vita. Ac si diceret: Erratis? venite ad me; ego sum via. Qua via ut intrepidi

Ego sum via etc.